

desit stola, vel alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis; quia, quamvis ista spectent ad reverentiam Sacramento debitam, non est tamen positiva irreverentia, sed tantum omissio majoris reverentiae; et necessitas hominis, propter quam instituta sunt sacramenta, videtur excusare: necessitas enim non habet legem, cap. *sicut*. 11, de consecrat, dist. 1; cap. *Omnes* 1, de Feriis, capit. *Consilium* 2, de observat. jejunior., cap. *Consulisti* 3, de celebrat. Missar.; et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: cap. *Quod non est* 4, de Reg. Juris, in 6; et sic expresse tenet La. Croix lib. vi, p. 2, n. 333, et alii. (20. Infirmus, si commode jejunus exspectare non possit, communicari potest non jejunus, sed per modum viatici; *Communis*, cum la Croix, lib. vi, pag. 1, num. 602; Aversa quæst. 8, sect. 9, § 6; Gobat, Tamburin., Dicastill., et aliis. Inter quos non est omnino prætermittendus P. Benjaminus Elbel, part. III. Conf. 14, n. 90, ubi casum in hoc proposito valde singularem resolvit.

(21. Infirmus tenetur ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum viatici, quando est in periculo mortis constitutus, et hoc etiamsi non sit jejunus. Vide verb. *Eucharistia*, n. 34. (22. Et licet sit jejunus, recte adhuc adhibetur formula: *Accipe Viaticum*. Vide verb. *Euchar.*, 35. (23. Qui mane ante periculum communicavit ex devotione, si superveniat periculum, an teneatur eodem die per modum viatici communicare. Vide verb. *Eucharistia*, num. 36. (24. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægrotus pos. septem vel octo dies repetere viaticum non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurat. Vide ibid. n. 57. (25. Quando morbus et periculum diu protrahitur post 7 vel 8 dies, potest iterum dari communio non jejunus. Vide ib. n. 38. (26. Viaticum dari debet infirmis in periculo, etiam in die Parasceves. Vide ibid. num. 39. (27. Si infirmus ob tussim vel ob aliam causam sumere non possit viaticum, non debet ad illum deferri SS. Eucharistia devotionis causa. Vide ib. num. 50.

(28, 29. Pro consecrando viatico dando infirmo non est licitum sacerdoti non jejunus celebrare; S. Antonin., Suarez, Azorius, Jordanus, alique plurimi cum Dicastill. dist. 9, n. 343; La Croix lib. vi, part. 1, n. 611. Quamvis enim sacerdos teneatur celebrare jejunus solum de præcepto Ecclesiastico, et infirmus teneatur in periculo mortis sumere viaticum de præcepto divino, tamen præceptum divinum non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia principalibus ritibus, et quasi substantialibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, ut recte observant Suarez, Fag. Diana, Amicus, Lugo, Tambur. Dicastill. Platell. apud La Croix loc. cit. num. 167. Tum quia in ipso casu defectu Hostiæ consecrata infirmus excusatur a tali præcepto sumendi viaticum ob impotentiam, quia impossibilium nulla est obligatio; 1. *Impos-*

sibilium, ff. de Reg. Juris, et cap. *Nemo potest* 6, de Reg. Juris in 6, ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari*. Aliqui tamen, ut Major., Zanard Zambranus, Philarch. et alii tenent oppositum, et horum sententiam Suarez, Filiucius, Lugo, Dicastill. Layman, et alii vocant probabilem saltem in casu quo infirmus aliud sacramentum non possit suscipere.

(30. Infirmus non tenetur ad jejunium; *Communis*. Vide verb. *Jejunium* articulo secundo. (31. Infirmi non tenentur ad jejunium, sicuti non tenentur ad recitationem Horarum et ad audiendum Sacrum, quamvis propria culpa inciderint in infirmitatem; arg. c. *Infirmitas* 13, de pœnitentiis, et rem. Et ratio est quia etsi tales propria culpa sint impotentes, hæc tamen impotentia et hoc impedimentum ad observantiam jejunii et hujusmodi, nec a jure nec ab homine, sed ab ipso Deo illatum est, ut innuit textus in cap. *Percussio* 2, caus. 7, qu. 1, ibi: « Cum percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, et ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio. » (32. Fratres Minores non potentes jejunare bono modo propter infirmitatem vel debilitatem, non tenentur, ut eis concessit Sixtus IV, apud Casarub. in Compendio Privilegiorum, verb. *Infirmi fratres* n. 2.

(33. Episcopi infirmi, an, et quando dispensentur a residentia. Vide verb. *Episcopus*, art. 3.

(34. Canonici infirmi, an, et quando lucrentur distributiones. Vid. verb. *Distributiones quotidiana*.

(35. Parochi infirmi, an, et quando censeantur dispensati a residentia. Vide verb. *Parochus*.

(36. Infirmus peccat quando, spretis medicorum consiliis et remediis, pro libitu suo sibi remedia procurat, seu remedia ordinaria recusat, Busemb., La Croix l. II, num. 201, et l. III, part. 1, num. 769 et 775, cum aliis ibi citatis. Tunc enim vitæ suæ non consulit quantum potest et debet. In casu tamen quo aliquis infirmus diu et graviter ægrotaret, et a medicis tanquam incurabilis esset derelictus, non peccaret sumendo aliquod remedium periculosum, quia non tenetur homo se servare cum tantis doloribus, unde non censetur tunc, nisi indirecte, morti suæ cooperare: Henno tom. I, tract. de conscientia, disp. 3, quæst. ult. conclus. 3, resol. 4. et alii passim. (Hæc tamen opinio non est satis tuta; Rom. Th.) Infirmus, etiam periculosus ad mortem, nequit licite omne remedium aut medicamentum respuere: quisquis enim tenetur vitæ suæ periclitanti mediis ordinariis opulari: Henno loc. cit.; Busemb., et La Croix loc. cit.; Diana, et alii passim. Vide verb. *Moribundus* num. 1 et 2.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(37. Infirmitatem inter legitima impedimenta recensuimus in Addit. ad verb. *Impediens*. At quia non raro accidit ut homines

nonnullis ex causis infirmitates simulent, ne modo in judicio comparere necessum habeant; hinc est quod infirmitates evidentibus probationibus probari debent, et simulata infirmitates a veris infirmitatibus sunt distinguendæ.

(38. Infirmitatis probatio ordinaria fit per litteras et testimonium medicorum. Paul. Zacchias in Quæstionib. Medic. Legalib. lib. II, tit. 2, qu. 1, n. 3. Quinimo in causa levi probari potest infirmitas attestazione unius medici: Strik. Jur. Dissert. vol. V, disp. 3, c. 3, n. 54.

(39. Recepta quoque est probatio infirmitatis per testes ad minus duos: Damhou-

der. in prax. crimin. cap. 19, num. 9; Farinac. de Testib., q. 63, in princ.

(40. Controversia vero non levis est an infirmitas, aliis deficientibus probationibus, per juramentum probari possit? Affirmant Mascard. de probat. conclus. 884, fere per tot.; Carpov, Jurisprud. Forens., part. 1, constit. 9, defin. 11; Zanger. de Exception. part. II, cap. 9, num. 12; Mindan. de Process., lib. II, cap. 19.

(41. At non aliter hæc sententia admitenda est, quam si agatur de persona non suspecta de perjurio. Fides enim juramenti dependet a fide viri; Adi Strik. Juridic. dissert. vol. V, disp. 3, c. 3, num. 57.

INGRESSUS.

(1. Ingressus ecclesiæ denegari nequit mulieribus menstruatis; Benedict. XIV, tom. I, constit. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3, 14, et 39. (2. Ingressus mulierum in monasteria virorum sub gravissimis pœnis prohibetur. Idem constit. 39, incip. *Regularis disciplina*. (3. In casibus exceptis, v. g. favore mulierum nobilium jus patronatus habentium, quomodo permittatur?

Idem ibidem § 8. (4. Facultates permittendi hujusmodi ingressus revocantur et annullantur. Idem ibid. § 4 et 5. Vide tom. I, verb. *Clausura*. Ingressus in clausuram monialium est omnibus sub gravissimis pœnis interdictus. (5. Vide dict. tom. verb. *Clausura*, et tom. V, verb. *Moniales*, art. 3, num. 99, ubi affertur ad id Pontificia constitutio.

INIMICUS.

Vide verb. *ODIUM*, et verb. *VIRTUS vers. CARITAS*.

INJURIA

Vide verb. *CONSERVATORES*, n. 4; et verb. *POENA*, art. 2 n. 145, 146.

INQUISITIONIS S. OFFICIUM, INQUISITORES.

SUMMARIUM.

1. Inquisitionis tribunal quando erectum et quibus commissum fuerit, ad n. 5. — 4. Quinam olim habuerint, et nunc facultatem habeant inquisitores eligendi, ad n. 5. — 6. Congregatio sanctissimæ inquisitionis a quo fuerit instituta, quæ habeat jura, contra quos procedere valeat, etc., ad n. 14. — 15. Inquisitionis officium impediens quas pœnas incurrat. — 16. Inquisitores in quibus causis et contra quas personas possint procedere vel non, ad n. 27. — 28. Inquisitores an possint admittere laicos ad judicandum, et an ipsis liceat aliquid pretii percipere pro actis S. Officii, ad n. 30. — 31. Inquisitores quos possint creare et assumere in notarios, et in quibus magistratus etiam sæculares compellere, ad n. 37. — 38. Inquisitores an possint procedere contra delinquentes in sua provincia, etiamsi alio se transulerint. — 39. Quid mutuo sibi debeant inquisitores et episcopi, in causis ad fidem pertinentibus, ad n.

49. — 50. Quæ sint crimina in quibus inquisitores procedere possunt, ad n. 70. — 71. Inquisitores et episcopi ad quid teneantur in causis fidei, ad n. 75. — 76. An vigeat hodie constitutio qua Sixtus IV statuit ne inquisitores ordinis Prædicatorum procederent contra fratres ordinis Minorum; ac voluit inquisitores ordinis tam Prædicatorum quam Minorum a suis generalibus corripri, processari, et pœnis affici. — 77. Inquisitores quos possint absolvere judicialiter, ad n. 78. — 79. Inquisitoribus quæ jura competant ac privilegia, ad n. 86. — 87. An episcopi, parochi, vel canonici in officio inquisitionis impediti excusentur a residentia, vel distributiones lucrentur, ad n. 90. — 91. Familiares S. Officii an satisfaciant præcepto paschali, nisi communicent in propria parochia. — 92. An et quando vicarius, et ministri S. Officii ob violatam in munitatem censuras incurere censeantur, ad n. 99. — 100. Subnectuntur additiones ex aliena manu, ad n. 108.

(1. Inquisitionis tribunal fuit primo erectum sub Innocent. III, occasione hæresis Albigensium, rem eidem Innocentio proponente S. Dominico, præclarissimi ordinis Prædicatorum patriarcha, tunc Oxomensis canonico, cui primo hæc delegata inquisitoris jurisdictio commissa fuit. Paramus de Orig. Inquisitionis, lib. II, tit. 1, cap. 1, num. 13; Castil. in Histor. Ordinis Prædicatorum, cap. 17; Fernand. in concertat. Prædicat., pag. 16; Lucius Marinus Siculus in Histor. Hispan. Card. Petra, tom. III, commentar. in constit. 16. Innocentii IV, n. 8, et alii passim.

(2. Inquisitionis munus seu officium fuit commissum a Gregorio IX solis patribus

ordinis Prædicatorum, ut patet ex litteris datis anno 1231 eorum priori in Lombardia, quæ litteræ exstant tom. IX Conciliorum column. 335, et ex aliis inquisitoribus ejusdem Ordinis ab eodem Gregorio contra Albigenses missis, ut videri potest apud Leandr. de viris illustrib. lib. II; Rzovium ad annum 1235, a num. 4. (3. Deinde Innoc. IV tale inquisitionis officium commisit etiam Fratribus Minoribus, ut patet ex ejus constitutione incipiente *Quia tunc*, et refert cardin. Petra loc. cit., num. 9, et alii. Et aliquando fuit commissum etiam patribus Minimis Sancti Francisci de Paula: Clemens enim VII delegavit inquisitorem in regno Portugalliæ P. Didacum de Silva, dicti or-

cinis Minorum, ut narratur in constitutione 8 Pauli III. incipient. *Illius*, § 1, ut refert card. Petra loc. c., n. 9.

(4. Superiores Prædicatorum et Minorum olim habebant facultatem eligendi inquisitores, ut patet ex constitutione 16 Innocentii IV, incip. *Quia tunc*, et ex constitut. 16 Alexandri IV, incipient. *Quod super*, et ex constit. 23 ejusdem Alexandri, incipient. *Catholica*, et notant Eymeric. part. 3, director., q. 3, et ibi Pegna comment. 52, § *Regulariter*; Azorius part. 1, lib. VIII, cap. 18, quæst. 5; Sanctarell. de hæresi, cap. 40, dub. 1, num. 6; Delbene part. n, dubit. 195, sect. 8, num. 2; card. Petra loc. cit., num. 32. (5. Hodie tamen adempta exstat hæc facultas dictis superioribus regularibus, et inquisitores regulares eliguntur a congregatione sanctissimæ Inquisitionis, et a Sede Apostolica approbantur, exceptis solummodo inquisitoribus Hispaniæ, qui immediate ab inquisitore generali eliguntur, ut notant Salell. lib. 1, cap. 2, regul. 10 et 11; Carena part. 1, tit. 3, num. 5, et tit. 5, § 3, n. 11; Souza in aphor. Inquis. lib. 1, c. 6, n. 6; Delbene l. c. sect. 8, n. 2; Castropal. Oper. moral., p. 1, tract. 4, disp. 8, punct. 12, § 2, n. 2; Card. Petra l. c. n. 34, et alii passim.

(6. Congregatio cardinalium sanctissimæ Inquisitionis erecta fuit a Paulo III, constit. 34, incipient. *Licet*, et denuo restituta a Sixto V, constit. 74, incipient. *Immensa*. Facultas hujus supremæ et universalis Inquisitionis est supra omnes civitates et loca Christianitatis, etiam ultra montes: Paulus III, in cit. constit. *Licet*. (7. Hæc suprema cardinalium generalium inquisitorum congregatio contra quoscunque procedit, appellationes ab aliis inquisitoribus audit, inquisitores ubivis locorum deputat, et alios, qui interesse debent et inservire in actu degradationis: Paul III, ib. (8. Hæc cardinalium generalium inquisitorum congregatio præcipere potest degradationem reorum clericorum qui damnati sunt, et uti potest brachio sæculari: Paul III, ib. (9. Potest privare beneficiis, etc., impediens suum officium, et aliis inhabilitatibus afficere: Paul III, ib. (10. Omnia ab hac suprema universalis Inquisitionis congregatione decreta firma sunt, et observari debent: Paulus III, ib. (11. Potest procedere contra episcopos, et etiam contra cardinales hæreticos: Pius IV, constit. 67, incip. *Romanus*. (12. Quod a majori parte cardinalium hujus congregationis fuerit conclusum, ab omnibus factum esse censetur: Pius IV, constit. 79, incipient. *Cum nos*: Pius V, constit. 23, incipient. *Cum felix*. (13. Si duo tantum cardinales sint in congregatione, quod ipsi decernunt est ratum: Pius V, constit. 23, incip. *Cum felix*. (14. Cum hæc cardinalium generalium inquisitorum Congregatio scribit aut præcipit aliquid ordinariis, vicariis, inquisitoribus, etc., isti statim debent rescribere et injuncta exsequi: Clemens VIII, constit. 76, incip. *Sanctissimus*.

(15. Inquisitionis officium impediens, testes in causis fidei, aut denuntiantes offen-

dens, carceratos extrahens, capi reos prohibens, occultans, adjuvans, consulens, vel similia in favorem reorum faciens, est reus læsæ majestatis, omni dominio privatur, ut hæreticus tractandus, infamis ipse, et filii ejus, pœnis hæreticorum subjacet, et curiæ sæculari est tradendus: Pius V, constit. 82, incip. *Si de protegendis*.

(16. Inquisitores possunt procedere in causis fidei contra quascunque personas cujusvis gradus, conditionis, vel dignitatis, contramagistratus, communitates, etc. Etiam si habeant privilegium Sedis Apostolicæ ut contra eos non procedatur; cap. *Ut officium*, de hæreticis in 6. Urbanus IV, constit. 2, incipient. *Licet*, § 16. (17. In causis fidei procedere possunt etiam contra quoscunque exemptos: Alexander IV, constit. 22, incipient. *Ne commissæ*; Clemens VII, constit. 27, incipient. *Cum sicut*; Paulus III, constit. 30, incipient. *In Apostolici*; Pius IV, constit. 31, incip. *Pastoralis*; Paulus V, constit. 26, incip. *Romanus*; ubi revocat facultates superioribus quorumcunque ordinum concessas cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes. (18. In causis fidei possunt inquisitores procedere etiam contra suosmet superiores ejusdem ordinis: Cochier de jurisdic. ordinar. in exemptos, part. II, q. 45, n. 58; Sousa in aphorism. Inquis. lib. 1, cap. 4, n. 5; Card. Petra tom. III, Comment. in const. 23 Alexand. IV, num. 15, et alii passim. (19. An autem inquisitores procedere possint etiam contra generales religionum non conveniunt doctores: multi enim quos sequitur Diana part. IV, tract. 8, resolut. 23; Peyrin. in privileg. Minor. tom. II, Constit. 9, Pauli V, § 1, n. 2; Bordon. in Tribunal., cap. 27, n. 27, et alii, tenent non posse inquisitores procedere contra generales religionum, sed debere prius certiorare supremam cardin. inquisitionem; arg. cap. *Inquisitores*, de hæreticis in 6, et concil. Trident. cap. 11, sess. 25, de Regularibus, ubi quamvis submittat jurisdictioni, visitationi, et correctioni ordinariorum omnes parochiales ecclesias regulares, excipit tamen eas in monasteriis, et locis ubi generales seu capita ordinum sedem ordinariam et principalem habent ibi: « Exceptis etiam iis monasteriis seu locis in quibus abbates generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent »: et in continentia facti sic declarasse sac. congreg. Concilii pro ecclesia S. Hyppoliti de Faventia, quæ est sedes ordinaria et principalis generalis Camaldulensis, testatur Fagnan., lib. III, decretal. in cap. *Nullus Episcopus* 3, de Parochiis, num. 41, et ipsum sequitur Monacell. tom. I, tit. 5, formul. 1, num. 18, et tit. 6, formul. 20, num. 14, ubi affert decretum sacr. congr. Concil. in Laud. Jurisdiction. 1 decembr. 1691, in qua, plene articulo discusso, et partibus informantibus, fuit resolutum bullam Gregorii XV incipient. *Inscrutabili* non derogasse privilegio cap. 11, sess. 25, de Regul., favore generalium ordinum concessa, et alii passim. Aliqui autem, his non obstantibus,

censent posse inquisitores procedere etiam contra generales religionum, dicentes hanc exemptionem seu exceptionem generalium non constare de jure, cum. cit. cap. *Inquisitores* loquatur solummodo de episcopis, ut advertit Freita in addition. ad Roderie. Acugna de Confessar. solic., q. 12, num. 20, et priorem opinionem procedere posse, inspecta solummodo quadam æquitate et decentia, ut ait Carena part. 1, tit. 5, § 9, num. 78, et sequitur card. Petra loc. cit., num. 16.

(20. Inquisitores regulares in iis quæ ad munus inquisitionis pertinent, non sunt subiecti suis regularibus superioribus, nec eis tenentur obedire, ut de inquisitoribus Prædicatorum et Minorum expresse statuit Alexander IV constit. 23, incipient. *Catholica*. (21. In iis autem quæ pertinent ad statum religiosum et observantiam regularem, sunt subiecti suis superioribus regularibus, et eis tenentur obedire, ut ex cit. Constit. Alexandri IV, incipient. *Catholica*, docent Eymeric. in directorio part. III, q. 11 et 12, ubi Pegna, Comment. 60; Sanctarell. de hæresi cap. 40, dub. 1, n. 7; Decianus l. v, tract. Crimin., cap. 22, n. 33; Rojas de hæreticis, part. II, n. 418; Mascovius de Majestat. milit. Eccles. lib. 1, part. 1, cap. 11; Carena de Offic. Inquisit., part. 1, tit. 5, § 8, num. 69; Salelles de Mater. Tribun. Fid. lib. 1, cap. 2, regula 11, num. 13; Card. Petra, loc. c. num. 4. (22. Unde si extra officium deliquerint, certum est de juris rigore puniri posse a suis prælatibus regularibus: Eymeric. loc. c., quæst. 12, num. 1; Locat. in judicial. verb. *Inquis.*, n. 40; Sanctarell. cit. dub. 1, num. 7; Zanardus in director. part. II, cap. 6, quæst. 43; Rodriguez qq. regul. tom. II, quæst. 81, art. 5; Card. Petra loc. cit., num. 7, et alii. Ast tamen, quia eisdem superioribus regularibus vetita sunt ea ex quibus directe vel indirecte sui subditi inquisitores in eorum officio impediuntur; idcirco, dum isti extra officium delinquant, poterunt quippe eorum superiores omni casu informationes capere, eosque monere et reprehendere, cum ex his nullum eis impedimentum in suo munere exercendo oriatur. Dum autem pœna est infligenda, ad eam devenire non debent, si inde inquisitores quodammodo a suo officio impediuntur; et tunc informationes transmittere supremæ cardinalium Inquisitioni, ejusque mandata expectare debent, ut post Farinac. de hæresi, q. 186, n. 132, tenent Castropal. tom. X oper. Mor., tract. 4, disp. 8, punct. 12, § 1, n. 23; Diana part. IV, tract. 8, resol. 53; Carena de offic. Inquisit., part. 1, tit. 5, § 8, n. 72; Card. Petra l. c., n. 8, et alii.

(23. Inquisitores non possunt procedere contra episcopos, neque e contra, nisi habeant in commissis a Papa specialiter; sed occurrente casu suspensionis, vel accusationis, vel denuntiationis contra ipsos, debet significari Summo Pontifici; cap. *Inquisitores* 16, de hæreticis in 6; et Extravagant. de hæreticis, cap. *Cum Matthæus*. (24. Inquisitores non possunt excommunicare episcopos, nec e contra; cap. *Statuta* 20 de hæreticis in 6; et Extravagant. de hæreticis, c. *Cum Mat-*

thæus. (25. Inquisitores non possunt procedere contra legatos vel nuntios Papæ, sed occurrente casu, aut suspitione hæresis contra eos, debent id Papæ significare; cap. *Inquisitores*, de hæreticis in 6; Extravagant. de hæreticis, cap. *Cum Matthæus*. (26. Neque possunt excommunicare officiales Papæ, vel contra eos procedere; cit. cap. *Inquisitores*, et cit. cap. *Cum Matthæus*. (27. Inquisitores non possunt se intromittere in aliis causis quam in delictis contra fidem. Clement. de hæreticis, c. *Multorum* 1, § *Propter*. (28. Inquisitores non possunt in judiciis admittere laicos judices ad judicandum sub pœna (etiam inquisitoribus) excommunicationis papalis ipso facto: Julius III, constit. 11, incip. *Licet a diversis*. (29. Inquisitores non possunt extorquere a reis pecuniam modo illicito, sub pœna excommunicationis papalis ipso facto, a qua non possunt absolvi donec satisfaciant. Clement. de hæreticis, cap. *Nolentes* 2. (30. Unde pro actis S. Officii et processibus nihil possunt facere solvi, nec sibi, nec aliis officialibus, sed omnia gratis debent facere expediri. Clemens VIII, constit. 76, incipient. *Sanctissimus*.

(31. Inquisitores possunt creare et assumere in notarios clericos etiam in sacris: Urban. IV, constit. 2, incipient. *Licet*, § 3, et quosvis, sive sæculares, sive clericos, sive regulares: Pius IV, constitut. 36, incipient. *Pastoralis*; cap. *Ut officium*, § *Verum*, de hæretic. in 6. (32. In sententiis ferendis possunt assumere quoslibet peritos: Urban. IV, constitut. 2, incipient. *Licet*, § 10, cap. *Ut commissi*, de hæretic. in 6; et hi tenentur obedire, cit. cap. *Ut commissi*. (33. Possunt constringere magistratus omnes etiam sæculares ut observare faciant statuta contra hæreticos facta, sive contra fautores ac receptatores; et cogere possunt eos ad jurandum de tali observantia. Quod si nolunt jurare, fiunt infames ac suspecti in fide, et officio privandi sunt; cap. *Ut officium*, § *Compescendi*, de hæreticis in 6. (34. Possunt cogere omnes magistratus et judices ad exsequendum suas sententias, et isti debent sub pœna excommunicationis obedire: Innoc. VIII, constit. 10, incipient. *Dilectus*. (35. Possunt omnes magistratus compellere et alios ad dandum eis scripturas pertinentes ad S. Officium: Alexand. IV, constit. 18, incip. *Cupientes*. (36. In causis hæresis uti possunt brachio sæculari: cap. *Ut officium*, § *Compescendi*, de hæreticis in 6. (37. Inquisitoribus in causis fidei tenentur obedire omnes domini temporales, et si aliquem illi carcerari faciunt, isti tenentur fideliter custodire: et si illi sententiant, isti tenentur indilate obedire, non obstante appellatione rei: cap. *Ut Inquisitionis*, de hæreticis in 6.

(38. Inquisitores possunt procedere contra delinquentes in sua provincia etiam si alio se transtulerint: Alexand. IV, const. 16, incip. *Cupientes*. (39. Possunt procedere in causis hæresis quas etiam episcopi cœperunt cognoscere: Urban. IV, constit. 2, incip. *Licet*,